Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

ritis me interficere hominem qui veritatem locutus sum quam
audivi a deo. Hoc abraham fecit. Vos facitis opera pa-
tris vestri. Dixerunt itaque ei. Nos ex fornicatione non sumus
nati. unum patrem habemus deum. Dixit ergo eis ihesus. Si deus pater
vester esset. diligeretis utique me. Ego enim ex deo processi et veni.
Neque enim a me ipso veni. sed ille me misit. Quare loquelam
meam non agnoscitis. Quia non potestis audire sermonem meum.
Vos ex patre diabolo estis. et desideria patris vestri vultis facere.
Ille homicida erat ab initio. et in veritate non stetit. quia non
est veritas in eo. Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur.
quia mendax est. et pater eius. Ego autem veritatem dico. et non
creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato. Si veritatem
dico. quare vos non creditis mihi. Qui est ex deo verba dei audit.

Hec dicit dominus deus. Anima que peccaverit. Feria vi. Ezechiel propheta
ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris. et pater non
portabit iniquitatem filii. Iusticia iusti super eum erit. et
impietas impii erit super eum. Si autem impius egerit peni-
tentiam ab omnibus peccatis suis que operatus est. et custodi-
erit universa precepta mea. et fecerit iudicium et iusticiam. vita vi-
vet. et non morietur. Omnium iniquitatum eius que operatus est. non
recordabor. In iusticia sua quam operatus est. vivet. Numquid
voluntatis mee est mors impii dicit dominus deus. et non ut conver-
tatur a viis suis. et vivat. Si autem averterit se iustus a iusti-
cia sua. et fecerit iniquitatem secundum omnes abhominationes
quas operari solet impius. numquid vivet. Omnes iusticie
eius quas fecerit non recordabuntur. In prevaricatione qua pre-
varicatus est. et in peccato suo quod peccavit. in ipso morietur.
Et dixistis. Non est equa via domini. Audite domus israel. Numquid